

De Cimmeriis


scripsit

Udalricus Hoefer,
dr. phil.


Belgardiae 1891.



Beilage zum Jahresbericht des städtischen Gymnasiums
zu Belgard a. Pers.



1891. Progr. No. 127. Druck von Gustav Klemp in Belgard.



De Cimmeriis.

> *Γέγονε δὲ ἡ ἀσάφεια οὐ διὰ τὰς μεταβολὰς μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τὰς τῶν συγγραφέων ἀνομολογίας, περὶ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ λεγόντων.*
> Strabo.

Apud veteres cum multa Cimmeriorum monimenta exstarent et scriptoribus multifariam eorum mentionem facientibus et locis nonnullis ex ea gente nominatis — erat loci quem hodie dicimus Strasse von Kertsch nomen *Κιμμερικὸς Βόσπορος* Cimmericus Bosporus usitatissimum —, nos de prisca gente non admonemur nisi nominibus **Krim** [1]), peninsulae in Pontum procurrentis et **Krimmer**, vestis cuiusdam paratae ex pellibus agnorum, qui in illis locis nutriuntur.

Mihi quidem in gentium migrationes, quae Asiam quondam inundasse feruntur, inquirenti cum saepius obvenissent Cimmerii, quid de hac gente referant veteres, iudicent recentiores, iam pridem circumspicere coepi. Nunc dissertationem scribendi munere ad me delato propius accessi ad rem diu in animo volutatam, non quo multa nova de his rebus quaeque cum eis cohaerent, me proferre posse crederem, sed quia ne veterum quidem scriptorum de illa gente testimonia satis collecta et in unum locum congesta videbam. Accedit alterum: variae et discrepantes sunt doctissimorum hominum de Cimmeriis sententiae. Nova autem hac nostra aetate de re disserendi viris doctis allata est occasio repertis inscriptionibus quibusdam Assyriis cuneatis litteris conscriptis, quibus de Cimmeriis quoque fit mentio. Quibus de causis non inutile fore existimabam quae hodie de Cimmeriis dici queant, hoc libello comprehendere.

Ex eorum autem numero, qui nostra aetate rem tractaverunt [2]), duos hoc loco nominaverim, viros doctissimos utrosque: quorum alter Henricus Gelzer egregie scripsit de Gygis aetate (Mus. Rhen. vol. XXX), alter Erwinus Rohde, praeceptor meus, saepius de Cimmeriis verba fecit: qui cum operam dederint imprimis temporibus definiendis, factum est, ut de his rebus breviorem esse mihi liceret.

---

1) Nomen translatione litterarum ortum: ap. Arabes Kirim cf. Kautzsch ap. Riehm, Handwörterbuch d bibl. Alt. s. v. Gomer.

2) Quos omnes inspicere non potui. Peculiares sunt, quoad cognovi, de Cimmeriis dissertationes hae: **Bayer** de Cimmeriis in „Bayeri opuscula ed. Klotz“ (Halae 1770) p. 126—137, **Fréret** mémoire sur les Cimmériens etc in Mémoires de l' Acad. des Jnscr. XIX p. 577—632, Ch. Em. **Ruelle** Les Cimmériens d'Homère, lettre à Mr. V. Langlois (Paris 1859). Ne his quidem ut uterer mihi contigit.

Jncipiendum autem videtur mihi esse ab **Homero**: qui in Odysseae λ 13 sqq. Cimmerios nuncupat ita dicens:

῾Η δ᾽ ἐς πείραθ᾽ ἵκανε βαθυρρόου ᾿Ωκεανοῖο.
ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
᾿Ηέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
οὔθ᾽ ὁπότ᾽ ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
οὔθ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προτράπηται,
ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Qui versus posteris eximiam fecerunt et imitandi et interpretandi facultatem. Ac primum nunc de interpretibus poetae loquar. Quibus statim magna oborta est difficultas, quae usque ad nostram aetatem multos vexavit: noverant Cimmerios, septemtrionum gentem, quae inde profecta Asiae incolis per longum tempus magnum terrorem iniecisset: *ἐς πείρατ᾽ ᾿Ωκεανοῖο* eos transfert poeta. Quamobrem exstiterunt, qui accusarent Homerum, quod, quamquam non ignorasset Cimmerios gentem fuisse septemtriones incolentem, finxisset tamen eos habitantes in extrema occidentis plaga. Talia Strabo profert saepius illud Homeri peccatum obiter commemorans, I 20 (cf. I 6 III 149): *οὕτω δὲ καὶ τοὺς Κιμμερίους εἰδὼς οἰκοῦντας τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορον πρὸς βορρᾶν καὶ ζοφώδη μετήγαγεν οἰκείως εἰς σκοτεινόν τινα τόπον τὸν καθ᾽ ᾅδην, χρήσιμον ὄντα πρὸς τὴν μυθοποιίαν τὴν ἐν τῇ πλάνῃ* et Eustathius, qui pleraque de Cimmeriis ex ipso Strabone hausit, comm. in Od. p. 1379. Notas autem fuisse Homero veras Cimmeriorum sedes inde concludi posse ait Strabo (I 20 I 6 III 149), quod chronographi quidam doceant vel Homeri aetate vel paulo ante Cimmeriorum in Asiam incursionem factam esse. Nempe fugit Amasenum chronographos illos quos laudat, Cimmeriorum incursionibus propter nullam aliam causam tam reconditam aetatem attribuisse, nisi quod apud Homerum commemorantur. Puerilis sane ratio, quam tamen persaepe adhibitam esse constat. Exstat Eusebi testimonium affirmantis anno a. Chr. n. 1078 Cimmerios in Asiam incurrisse.[3]) Proxime autem accedit inter eos, qui Homeri tempora certis calculis circumscribere conati sunt, ad hunc annum Eratosthenes Homerum annis C post Troiam expugnatam (= 1083) fuisse dicens.[4]) Alii rectius a Mida, celeberrimo Phrygiae rege, qui anno fere 696 vel 676 (sec. Euseb.) Cimmeriis in terram invadentibus ipse mortem sibi conscivisse fertur, et ab eius aetate proficiscentes hac ipsa aetate Homerum floruisse affirmabant. Homerus enim epitaphium illud in Midae mortem adhuc servatum (Anth. Pal. VII 153) fecisse dicebatur. Sic Theopompus[5]) ap. Clem. Alex. Strom. I p. 327 BC adversatus Ephoro Homerum quingentis post Troiam captam annis fuisse ait una cum Archilocho, cf. Eusebi Praep. ev. XII: *ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ὑπήγαγον, σὺν ᾿Αρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν ῞Ομηρον εἰπόντες. ὁ δὲ ᾿Αρχίλοχος ἤκμασε περὶ ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν, κατὰ Γύγην τὸν Λυδόν, τῶν ᾿Ιλιακῶν ὕστερον ἔτεσι πεντακοσίοις.* Item Euphorio Chalcidensis Homerum Gygis aetate floruisse iudicavit. Duplicem igitur viam chronographos ingressos esse intellegis: alii propter Cimmeriorum incursum certis calculis antea definitum Homeri aetatem in sera tempora transtulerunt, alii poetam non ita multo post Troiae excidium fuisse arbitrati eisdem temporibus Cimmerios invasisse iudicaverunt. His omnibus autem Homerum aequalem fuisse Cimmeriorum incursionis constabat.

Porro qua de causa poeta Cimmeriis sedes *πρὸς τῷ ῞Αιδῃ* tribuerit, quaerunt veteres.

---

[3]) Euseb. a. Abr. 939: *᾿Αμαζόνες τῇ ᾿Ασίᾳ ἐπῆλθον ἅμα Κιμμερίοις*; cf. Gelzer. Africanus I 184.

[4]) Quod quidam Cimmeriorum incursum a. 1078 collocaverunt, eius rei causam fuisse Gutschmidius docebat illud in Midae mortem epigramma Homero vindicatum. Ceterum cf. de his rebus Sengebusch. Annal. phil. 67 (1853), 403 sqq., Gelzer. Das Zeitalter des Gyges (supra comm.), imprimis autem Rohdeum, qui in omnes, quas de Homeri aetate antiquitas tulit, sententias magna diligentia faustoque eventu inquisivit (Rhen. Mus. 36,555 sqq., cf. 33,194).

[5]) Quem chronographis a Strabone laudatis subesse monuit Rohde l. c. 36,557. Scriptorum locos v. ap. Fischer. Griechische Zeittafeln.

Cuius rei miram causam Strabo profert III 149 *τάχα καὶ κατά τι κοινὸν τῶν Ἰώνων ἔχθος πρὸς τὸ φῦλον τοῦτο.* Quae repetit Eustathius comm. in Od. p. 1670 addens nullo alio modo poetas odiosis hominibus nocere potuisse. Similia scholion λ 14 praebet: *οὗτοι οἱ Κιμμέριοι οἱ Σκύθαι νομάδες ὄντες ἐκ τῶν δυτικῶν τοῦ ὠκεανοῦ μερῶν ἐλθόντες ἐπόρθησαν τὸν ναὸν Ἀπόλλωνος τὸν ἐν Δελφοῖς· διὸ δυσφημεῖ αὐτοὺς ὁ ποιητὴς ὡς ἐν σκότει οἰκοῦντας.*

Homeri versus cum ipso Cimmeriorum nomine tantam interpretandi difficultatem criticis afferrent, exstiterunt qui nomine mutato rem iuvare conarentur. Jnter quos fuere praeclarissimi critici: scripsit autem pro *Κιμμερίων Κερβερίων* **Crates**[6]), innixus fortasse verbis Aristophanis comici Ran. 187 *ἢ ς' Κερβερίους.*[7]) Alii scripserunt *Χειμερίων* velut Proteas Zeugmatites, incertae aetatis grammaticus: *ἀεὶ γὰρ οὗτοι* inquit *ἐν χειμῶνί εἰσιν*[8]), alii *Κεμμερίων*: *κέμμερον γὰρ λέγουσι τὴν ὁμίχλην*[9]).

Pedetemptim delapsi sumus in etymologos. Verum missas iam faciamus veterum nugas, quas qui curat respiciat schol. λ 14. Perperam enim iudicaverunt, qui nomen interpretari conarentur ex Graecae linguae verbis, atque propter eandem causam Prelleri quoque sententiam refutandam esse monuit Muellenhoffius[10]): qui hanc tulit sententiam: der Name und das dazu gehörige Appellativ sind unzweifelhaft von fremder, ungriechischer Herkunft. Jdem opinatus iam Vossius in libro Kritische Blätter (laud. ap. Seiler. Homer. Wörterb. s. v. *Κιμμέριοι*) vocem derivandam esse statuit a Phoenicia voce Kammar vel Kimmer, Bochart (cit. ap. Muellenh.) ab Hebr. gimrim, quod legitur in Sanctae Scripturae libro Job 3,5. Hodie autem plerisque constat Cimmerios significari Hebraeo nomine gomer[11]), Gomer inter Japheti filios numerato in catalogo gentium (Genes. 10,2), atque una eademque gens intellegi videtur verbis *Κιμμέριοι*, Hebr. gomer, assyr. gimirai, Phoen. qimmir[12]). Quo vocabulo utrum genuinum gentis nomen reddatur necne quaque ratione nomen apud Graecos innotuerit, iam quaeramus. Mihi quidem falsi aliquid posuisse videntur ei, qui velut Bochart nomen illud a vocabulo certi sensus vel Hebraeo vel Phoenicio derivandum esse statuerunt inducti, ut opinor, caducis veterum opinionibus. Hodie quidem nomine reperto eadem fere forma in variarum gentium lingua genuinum hominum nomen fuisse nemo neget. Deinde qua via ad Graecos pervenerit quaeritur. Magnopere de hac re dissentio ab opinione eorum, qui nisi per Phoenices nomen Cimmeriorum Graecis tradi non potuisse sibi persuaserunt. Longius autem hoc loco oportet repetamus et propositis supra potioribus veterum sententiis recentiorum de Homeri versibus opiniones non perlustremus quidem, sed quod in tanto opinionum acervo praeferendum duco, remotis plerisque eam designemus, quae prae ceteris probabilis nobis esse videatur. Jnspiciamus autem **Kirchhoffii** librum Die Homerische Odyssee (ed. II) p. 225. Cuius sententiam velim memineris esse hanc: libros *κλμ* maximam partem ab uno eodemque poeta esse compositos, post aliquanto cum ceteris coniunctos et in hodiernum ordinem redactos, alium scripsisse versus λ 1—24, alium sequentes. Verum ad inferos descensus ubinam ex poetae sententia sit collocandus, sciri non posse ille

---

[6]) Schol. H λ 14: *Ἀρίσταρχος Κερβερέων* (ίων Dind.) *Κιμμέριοι· ἔθνος περιοικοῦν τὸν ὠκεανόν. ἔνιοι δὲ γράφουσι χειμερίων. οἱ δὲ Κερβερίων ὡς Κράτης.* Cf. schol. Aristoph. Ran. 187 et Hesych. v. *Κερβέριοι.* Aristarchum quoque *Κερβερίων* scripsisse negavit Sengebusch Ann. phil. 1853 p. 413 sq., cui assentitur Rohde l. c. p. 562.

[7]) Quae quidem sententia fuit Eustathi: comm. in Od. p. 1670 *ἀκολουθήσας οἶμαι τῷ κωμικῷ.* — His adnumerandus sit Sophocles poeta sec. Etym. M. v. *Κιμμερίους*: verum h. l. Tittmann pro *Σοφοκλῆς* iure proposuisse videtur *ὁ σοφὸς Κράτης.*

[8]) Etym. M. l. c.

[9]) Etym. M. l. c.; haec Hesychio debentur, cf. Hesych. v. *κέμμερος ἀχλύς, ὁμίχλη.*

[10]) Deutsche Altertumskunde I 63. Perversa Prelleri (Griech. Myth. I² 634) sententia, quae simul contra linguae leges repugnat, fuerat Cimmeriorum nomen cohaerere cum *ἐρεμνός.*

[11]) Cf. e. c. Winer. Biblisches Realwörterbuch et Riehm. Handwörterb. d. bibl. Alt. s. v. Gomer, Duncker. Gesch. d. Alt. I⁴ 399, Tomaschek. Die Goten in Taurien (Ethnologische Forschungen über Osteuropa und Nordasien I) p. 1; Ed. Meyer in Ersch u. Gruber s. v. Kimmerier.

[12]) Tomaschek l. c.

confitetur verbis his: in der ganzen umfangreichen Erzählung findet sich nicht die geringste Spur, welche ein Urteil darüber zu bilden verstattete, wo im Sinne des Verfassers das Lokal des Hadeseinganges gelegen zu denken ist; die Lokalisierung am Gestade des Okeanos beruht lediglich auf den redaktionellen Zusätzen des Bearbeiters. Ergo in caligine sua remanent Cimmerii. At quo tempore libri κλμ sint conscripti, bene exponit Kirchhoffius (Excurs. II prioris partis p. 287 sqq.): investigatis enim rebus quibusdam, quae Argonautarum fabulam redolent, non ante Cyzicum conditam[13]) scriptos eos esse docuit. Quae si recte exposita iudicabis, priorem Odysseae partem, ut nunc quidem est, non multo ante a. fere 650 confectam esse facies cum Kirchhoffio. A quo non nisi paululum discrepo. Est enim perquam exigua Cimmeriorum apud Homerum notitia neque credibile versus λ 13 sqq. scriptos esse transgressis iam in Asiam Cimmeriis, ita ut inter a. fere 750 et 700 scriptos eos esse conicere iam liceat. Num negabis illis iam temporibus ad Ponti oram consedisse Milesiorum mercatores?[14]) Neque est cur credamus nisi coloniis ad ipsam septemtrionalem Ponti oram conditis Graecos aliquam Cimmeriorum notitiam accipere non potuisse[15]). Quacirca qui Phoenices Graecis primam illorum notionem attulisse vult, credat: equidem nec ipso Cimmeriorum nomine nec alia ratione ulla id probari posse arbitror.[16])

Homeri autem Cimmerios non alios putandos esse atque eos, qui septemtrionalem Ponti oram quondam incoluere, ipsis eis, quae adhuc scripsimus, iam indicavimus. Quod ipsa res clamare videtur; neque mirum, quod illis temporibus de hominum patria Jones pauca acceperunt[17]). Verumtamen, quia nonnulli insunt in Odyssea, quibus poetam in mari interno Ulixem errantem finxisse apertum fit, et veteres et recentiores plerique via decepti sunt. Unde factum est, ut exsisterent qui vel in Jtalia vel in Hispania quaererent Cimmerios. Accedebant ipsius poetae de Cimmeriis verba parum dilucida. Ne Kirchhoffium quidem, quamquam libros κλμ in unum carmen comprehendendos esse intellexit, certas sedes genti tribuere ausum esse supra vidimus. Difficili rei tandem allata est lux, quam diu desideravit, acumine Udalrici **de Wilamowitz-Moellendorff**[18]). Quae exposuit vir doctissimus, breviter hic astringam. Qui libros κλμ composuit, Ulixem animo fingit in Ponto errantem. Oritur sol apud Circes insulam in Ponto sitam ideoque nunquam radiis attingere potest sedes Cimmeriorum: ad quos qui mare transcurrit, pervenit. Elucet iam Cimmerios, qui apud Homerum feruntur, non diversos esse a notissima gente septemtrionem Ponti incolente[19]).

Sequentibus deinde temporibus hominibus doctis, cum quaererent, ubinam fuissent Cimmerii ab Homero memorati, ei praecipue offerebantur loci, ubi ad inferos introitus esse iam

---

13) Videas Fischer. ad Ol. 7,3 et Ol. 26,2.

14) Cf. de his rebus insignem C. Neumanni librum Die Hellenen im Skythenlande I (Berol. 1855) p. 344 sq.

15) Jd quod Rohdeus putare videtur: Rh. M. 36,556.

16) De Lydis, qui nomen Graecis tradiderint, cogitavit Gutschmidius.

17) Cf. Neumann. l. c. 338: „dass sich dabei auch einige dunkle Nachrichten über die seltsamen Schlammvulkane ihres Heimatlandes verbreitet haben, ist keine gewagte Annahme.“

18) Homerische Untersuchungen 165. Qui Kirchhoffii vestigiis insistens, quae concludere debuit ille, conclusit. Verum iam perspexit **Dubois de Montpéreux** (voyage autour du Caucause, laud. ap. Neumann. p. 336), sed non pervicit. Hodie quae Neumannus (336 sqq.) ei oblocutus est, stare iam non possunt. — De nominibus, quae Ponticam regionem ap. Homerum significant, v. cum alios tum Neumann. l. c., Kirchhoffium p. 287 sqq., ipsum Wilamowitzium: qui nominis Αἰαίη (quod de Circeis intellegi voluerunt vv. dd.: v. e. c. Nissen. Jtalische Landeskunde I 4) significationem optime excussit.

19) Multum igitur discrepamus a sententia **Rohdei,** qui de Homeri Cimmeriis acutius, puto, quam rectius obiter exposuit in Mus. Rhen. vol. XXXVI p. 555 sqq. Quem si audies, desperabis posse omnino erui ex ipso Homero, ubinam poeta sibi finxerit Cimmerios fuisse. Dicit etenim Rohdeus (p. 562): Homers Kimmerier, die schon darum nirgends wirklich zu suchen sind, weil die Griechen sie überall fanden, duce usus fere Prellero et ipso nihil nisi poetae commentum gentem illam fuisse iudicante (Myth. Gr. I² 634). Septimi deinde saeculi homines Cimmeriorum, qui apud Homerum sunt, memores illud nomen indidisse nomadibus in Asiam invadentibus intercedente aliqua nominum similitudine. Neque hos primos Cimmerios nominatos esse Rohdeus censet (p. 555 sq.): antiquiorem enim ducendam esse fabulam, quae de Cimmeriis est **in Cumana regione** versantibus. Quod nec demonstravisse Rohdeum nec cuiquam persuasisse puto.

pridem ferebatur. Jnter quos Cumanam regionem maxime illis visam esse idoneam quo Cimmerios transferrent, quis miretur? Jpsam autem loci naturam facile ibi fabulas parere potuisse bene iam exposuit Heyne (Excurs. II ad Verg. Aen. VI)[20]. Procurrit Puteolos inter et Cumas angustus ager in promontorium Misenum desinens. Colles ibi variis perfossi specubus, quos priscae aetatis hominibus pro domibus fuisse facile tibi persuadeas; montes convallesque densis ac continuis silvis obsita, tenebrae quae terrorem iniciant hominum animis. Verum ipse iam loquatur **Strabo** (V p. 244): *ἐμύθευον δ᾽ οἱ πρὸ ἡμῶν ἐν τῷ Ἀόρνῳ τὰ περὶ τὴν νέκυιαν τὴν Ὁμηρικήν· καὶ δὴ καὶ νεκυομαντεῖον ἱστοροῦσιν ἐνταῦθα γενέσθαι καὶ Ὀδυσσέα εἰς τοῦτ᾽ ἀφικέσθαι . . . . καὶ τοῦτο τὸ χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι . . . . Ἔφορος δὲ τοῖς Κιμμερίοις προσοικειῶν τὸν τόπον φησὶν αὐτοὺς ἐν καταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν ἃς καλοῖσιν ἀργίλλας, καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ᾽ ἀλλήλους τε φοιτᾶν καὶ τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον . . . . εἶναι δὲ τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον ἔθος πάτριον μηδένα τὸν ἥλιον ὁρᾶν, ἀλλὰ τῆς νυκτὸς ἔξω πορεύεσθαι τῶν χασμάτων καὶ διὰ τοῦτο τὸν ποιητὴν περὶ αὐτῶν εἰπεῖν ὡς ἄρα „οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται“. ὕστερον* δὲ (p. 245) *διαφθαρῆναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ βασιλέως τινός, οὐκ ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ χρησμοῦ, τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι συμμένειν μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον.*[21]) Agrippam autem Strabo refert, cum portum Julium efficere vellet, ut Avernum Lucrino lacui iungeret, silvam excidi iussisse.

Attulimus ea, quae de Cimmeriis Campaniae fabulosis incolis fabulatus est Ephorus, rerum scriptor clarissimus. Et eam quidem quae de Averni introitu erat fabula, quem in illis locis esse celeberrimus quisque poeta clamat, vetustissimam licet iudices: doctam tamen inventionem sapiunt ea quae de Cimmeriis feruntur ibi versantibus, neque ullus umquam locus ibi fuit qui nomen debuerit Cimmeriis.[22]) Verumtamen hanc quoque fabulam amplexi sunt poetae. Hos **Lycophro** poeta spectat Cimmerios (Alex. 695 sq.)

καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα κἀχερουσίαν
ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν

quaecumque enim ibi describit loca in Jtalia sunt sita. Eandem regionem procul dubio in animo habet **Tibullus** ita dicens (III 5,23 sq.):

Elysios olim liceat cognoscere campos
Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus

et IV 1,64

Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces

Ubi **Silius** quoque Jtalicus Averni introitum esse fingit (cf. VIII 531 fatorum conscia Cyme) XII 130 sqq. (cf. XIII 413 sqq.):

At iuxta caligantes iuxtaque per aevum
infernis pressas nebulis pallente sub umbra
Cimmerias iacuisse domos noctemque profundam
Tartareae narrant urbis: tum fulfure et igni
semper anhelantes coctoque bitumine campos
ostentant.

Ubi ad inferos descensum, ibi Somni quoque (Leti consanguinei: Verg. Aen. VI 278) domicilium esse faciebant poetae. Nullus alius enim **Ovidio** in animo est locus, cum scribit (Met. XI 592 sqq.) haec:

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni.

---

20) Cf. Preller. l. c. p. 632; Nissen. Jtalische Landeskunde I 267 sq.

21) Cf. Tzetzam in historiarum *(quas falso Chiliadas nuncupant)* XII 841—858 et ad Lycophr. 695, Eustath. ad in. λ, Scymn. 239 sq. Huc ea quoque, quae schol. λ 16 praebet, pertinere videntur: *ἐπιλάμπει μὲν ὁ ἥλιος τοῖς Κιμμερίοις, οὐ φαέθων δέ . . . οὔτε τὴν δύσιν οὔτε τὴν ἀνατολὴν διὰ τὸ δυτικοῖς καὶ ἀνατολικοῖς ὄρεσι περιέχεσθαι, κατὰ μόνην δὲ μεσημβρίαν ἥλιον ὁρῶσι.*

22) Cf. Plin. n. h. III § 61 *(Avernus iuxta quem Cimmerium oppidum quondam)* et Rohdeum p. 556 adn. 3.

Quem secutus est **Statius** (Theb. X 84 sqq.); qui totam Somni eiusque aedium descriptionem ad Ovidii versus formavit[23]).

Ad poetas quoniam pervenimus, eos quoque, qui Homerum imitati sunt, hoc loco commemorabimus, quamquam non omnes locos huc pertinentes collegisse nobis videmur. Jnter quos primum nominaverim **Hesiodum**, etsi facile hodie tibi persuadeas superiores aetate esse Homeri versibus Theogoniae versus 759 sqq.:

ἔνθα δὲ Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί᾽ ἔχουσιν,
Ὕπνος καὶ Θάνατος, δεινοὶ θεοί· οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν
οὐρανὸν εἰσανιὼν οὐδ᾽ οὐρανόθεν καταβαίνων.

Jtem posterioris aetatis poetae ita plerumque Homerum sunt imitati, ut quae de Cimmeriis in sempiterna caligine versantibus rettulit poeta celeberrimus, in suum usum converterent, velut **Lycophro** Alex. 1427

Κίμμερός θ᾽ ὅπως
σκιὰ καλύψει πέρραν, ἀμβλύνων σέλας,

Nonnus Dionysiacon XLV 269 Penthei cubiculum dicit

Κιμμέριον μίμημα δυσέκβατον, ἄμμορον ἠοῦς

Macedonius Thessalonicensis (Anthol. Pal. V 223 *Φωσφόρε*)

ἔρχεο δηθύνων, ὡς παρὰ Κιμμερίοις.

Paulus Silentarius (Anth. Pal V 283)

εἴ τις Ἐρώτων
λάτρις, νύκτας ἔχειν ὤφελε Κιμμερίων.

Alii denique ea quae ex Homero nota erant, connexuerunt cum eis, quae de veris Cimmeriorum sedibus compererant, velut **Orpheus** Argonauticon vv. 1120 sqq. (Abel):

ἔπειτα δὲ Κιμμερίοισι
νῆα θοὴν ἐπάγοντες ἱκάνομεν, οἵ ῥά τε μοῦνοι
αἴγλης ἄμμοροί εἰσι περιδρόμου ἠελίοιο.
ἐν μὲν γὰρ Ῥίπαιον ὄρος καὶ Κάλπιος αὐχὴν
ἀντολίας εἴργουσιν· ἐπικρέμαται δὲ πελώρη
ἄσσον ἐπισκιάουσα μεσημβρινὸν ἠέρα Φλέγρη.
δείελον αὖ κρύπτουσι φάος τανυήκεες Ἄλπεις
δειλοῖσιν μερόπεσσιν, ἀχλὺς δ᾽ ἐπικέκλιται αἰεί.

Factum autem auctoritate Homeri, ut in proverbii consuetudinem veniret *Κιμμερίων ἀχλύς*: cuius rei testes habes Juliani epist. 52 (p. 373 Hercher) et Clementem Alexandrinum (Protrept. p. 25 Sylb. I p. 93 Dind.): *φῶς ἐστι κοινόν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις. οὐδεὶς Κιμμέριος ἐν λόγῳ.*

Similia eis quae de Cimmeriis Cumarum accolis tradidit Ephorus, de necyomantio prope Heracleam Ponticam sito dicebantur. De hac re nihil fere habeo quod addam eis, quae docte, ut solet, Rohdeus exposuit in Mus. Rhen. XXXVI p. 256 nota 1. Verumtamen cum commenticia videantur, quaecumque illic de Cimmeriis ferebantur, veri aliquid subest Heracleotarum fabulis: Heracleae enim *Κιμμέριοι πόαν φαγόντες ἀκόνιτον ἐδυστύχησαν*: vid. Arriani fr. 47 FHG III 595 (Eustath. ad Dionys. Per 791).

Magnus octavo fere a. Chr. n. saeculo ortus est motus gentium septentriones Ponti incolentium, concitus a Scythis nomadibus ab oriente profectis. Qui fuisse videntur eidem, quos *Σκολότας* nominant Graecorum scriptores. Hos, qui proprie Scythae dicebantur, Jranios fuisse viris doctis hodie constat.[24]) Quos Scytharum nomine Graeci, eosdem septentrionum nomadas

---

23) Quod iam monuit Korn ad Ovid. l. c.
24) Quod demonstravit Muellenhoffius, v. E. Meyer. Geschichte d. Alt. I § 424. Nomine Iraniorum, cum commodissimum sit, uti liceat.

Persae comprehendebant nomine Saka.[25]) Pro Saka autem Babylonii posuerunt Gimiri (Gimirai), en Cimmeriorum nomen! Babylonios inde probabile fit Sacis omnibus indidisse nomen Cimmeriis facileque dixeris Cimmerios ipsos non distinguendos esse a Scythis.[26])

Habitasse autem Cimmerios circa Chersonesum Tauricam et Maeotidem paludem multi testes sunt scriptores. Neque deerant Graecis V saeculi hominibus certissima gentis vestigia locis ex ea gente nominatis compluribus Et freto quidem, quo Maeotis lacus coniungitur cum Ponto, putandum nomen Cimmericum Bosporum datum esse iam a Milesiorum mercatoribus. Erat deinde *ἰσθμὸς Κιμμερικός*, quem in Aeschyli fabula Prometheus commemorat verbis his (727 sq.)

ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις.

Optime autem de his rebus docemur gravissima **Herodoti** auctoritate. Scribit enim (IV 12) haec: *καὶ νῦν ἔστι μὲν ἐν τῇ Σκυθικῇ Κιμμέρια τείχεα, ἔστι δὲ πορθμήια Κιμμέρια, ἔστι δὲ καὶ χώρη οὔνομα Κιμμερίη, ἔστι δὲ Βόσπορος Κιμμέριος καλεόμενος.* Nomen autem *χώρη Κιμμερίη* intellegendum esse Neumannus p. 354 arbitratur de chersoneso ea, quam nos dicimus Halbinsel von Taman, ubi et sepulcra antiquissimae gentis reperta sunt nostra aetate et agger terreus late pertinens.[27]) Subvenit Strabo XI 494: *Τὸ δὲ Κιμμερικὸν πόλις ἦν πρότερον ἐπὶ χερρονήσου ἱδρυμένη, τὸν ἰσθμὸν τάφρῳ καὶ χώματι κλείουσα· ἐκέκτηντο δ' οἱ Κιμμέριοι μεγάλην ποτὲ ἐν τῷ Βοσπόρῳ δύναμιν, διόπερ καὶ Κιμμερικὸς Βόσπορος ὠνομάσθη.*

Ceterum Cimmerios sedes habuisse constat in utraque Bospori parte: fuit in orientali parte *κώμη Κιμμερική, ἀφετήριον τοῖς τὴν λίμνην πλέουσιν* (Strabo XI 494), in occidentali (*τραχεῖα Χερρόνησος*) *Κιμμερικὸν πόλις*, fuit Chersonesi Tauricae mons *Κιμμέριον* (Strabo XI 494), fuit in media Chersoneso sita urbs *Κιμμέριον* (Ptolem. III 6,6): plura si quaeris, adeas Neumanni librum (imprimis p. 111 sq., p. 453 sq.). Minime angustos autem fines Cimmerios habuisse et ipsa re demonstratur et Herodoti verbis c. 11 *τὴν γὰρ νῦν νέμονται Σκύθαι, αὕτη λέγεται τὸ παλαιὸν εἶναι Κιμμερίων.*

Jllis iam, de quibus antea dixeramus, temporibus quo modo gens gentem vexaverit et propulerit, eius rei exstat luculentum epici cuiusdam poetae testimonium, **Aristeae Proconnesii** hominis fabulosi verum tamen non eius, de cuius fide dubitare liceat[28]), quem ineunte saeculo VII scripsisse putandum est *Ἀριμάσπεια* sua *ἔπη*.[29])

Cuius operis quae ad nostram quaestionem pertinent, ea Herodotus servavit IV 13. Refert autem Aristeas adisse sese Jssedones, *Ἰσσηδόνων δὲ ὑπεροικεῖν Ἀριμασποὺς . . . . τούτους ὧν πάντας πλὴν Ὑπερβορέων ἀρξάντων Ἀριμασπῶν, αἰεὶ τοῖσι πλησιοχώροισι ἐπιτίθεσθαι, καὶ ὑπὸ μὲν Ἀριμασπῶν ἐξωθέεσθαι ἐκ τῆς χώρης Ἰσσηδόνας, ὑπὸ δὲ Ἰσσηδόνων Σκύθας, Κιμμερίους δὲ οἰκέοντας ἐπὶ τῇ νοτίῃ θαλάσσῃ ὑπὸ Σκυθέων πιεζομένους ἐκλείπειν τὴν χώρην.* Paulo haec discrepant ab eis, quae a Scythis fabulose narrari de Cimmeriis Halicarnassensis ait IV 11. Ceterum et inter Graecos et inter barbaros a Scythis Cimmerios sedibus suis pulsos esse constabat.

---

25) Testantur Herodotus VII 64 et Darii inscriptiones: cf. Meyer. § 424. Conferendus etiam Ctesias ap. Diodor. II 34 (fr. 25 Muell.), ubi Astibaras (Cyaxares Herodoti) cum **Sacis** bellum gerit

26) Etiam a Graecis serioris aetatis scriptoribus Cimmerii cum Scythis haud raro confunduntur: cf. e. c. schol. Appollon. Rhod. II 168 (Cimmerii *ἔθνος Σκυθικόν*), Arrian. ap. Eustath. comm. in Od. p. 1670, Hesych. v. *Κιμμέριοι*, Etymol. M. v. *Κιμμερίους*. Ceterum v. Meyer § 424. 463, Tomaschek l. c. 1. Meyer monet in inscriptione quadam Assarhaddonis regem Cimmeriorum nominari Teuspâ (Tiuspaa Gelzer) et hoc nomen Jraniam originem sapere.

27) Quae Stein ad Her. l. c. Neumanno opposuit, non ea sunt quae illius iudicium refellant.

28) Neumann p. 126 sqq.

29) Fragmenta coll. Kinkel EGF I 243. Aristeam autem minime Croeso regnante (cf. Suid. ubi pro *ὀλ. ν'* cum Rohdeo [Rh. M. 33,181] *ὀλ. νη'* legendum) fuisse ea ipsa re efficitur, quod Homeri aequalem eum fuisse sunt qui affirment, v. Strab. XIV 639. Hoc Gutschmidio debemus. Jdem concludes, ubi reputaveris Aristeam Cimmerios in suis sedibus habitantes facere. Alio enim modo non licet interpretari Herodoti verba; parum accuratus de ea re Neumannus p. 117.

Num omnes exierint, ignoramus. Facile quidem conieceris aliquam gentis partem confugisse in montes Chersonesi Tauricae, paulo incautius tamen Duncker I⁴ 399 dicit Tauros videri oriundos esse a Cimmeriis, qui in pristinis sedibus remanserint.[30])

Huc postquam pervenimus, paulum subsistamus oportet: primum enim, qua via in Asiam Cimmerii pervenerint, quaerendum, tum quo tempore id factum sit.

Et hoc quidem, qua via in Asiam invaserint, haud facile dictu. De ea re quae apud Herodotum leguntur, anguste comprehensa sunt haec: Cimmerios Scythis appropinquantibus concilio vocato quid faciendum sibi esset, deliberavisse, et plerosque quidem populi statuisse cedendum esse patria neque cum Scythis, quippe qui superiores essent hominum multidudine, dimicandum; at reges censuisse decertandum cum hostibus. Tandem cum res alio modo diiudicari non potuisset, paucos (sc. reges? v. Stein ad h. l.) electos et in aequas duas partes divisos armis inter se contendisse; quos cecidisse omnes, sepultis deinde ad Tyram [31]) fluvium mortuorum corporibus exisse universam gentem. Atque ita vacuas illorum sedes Scythas possedisse. — Quam Scytharum esse fabulam dilucide indicat Herodotus eamque veri simillimam sib videri affirmat. Et hucusque fere sequi licet auctorem sincerae fidei: incredibilia tamen refert de migratione gentis atque ea quibus ipse a se dissideat.[32]) Sunt autem haec (IV 12): *φανεροὶ δέ εἰσι καὶ οἱ Σκύθαι διώξαντες αὐτοὺς καὶ ἐσβαλόντες ἐς γῆν τὴν Μηδικήν, ἁμαρτόντες τῆς ὁδοῦ· οἱ μὲν γὰρ Κιμμέριοι αἰεὶ τὴν παρὰ θάλασσαν ἔφευγον, οἱ δὲ Σκύθαι ἐν δεξιῇ τοῦ Καυκάσου ἔχοντες ἐδίωκον ἐς ὃ ἐνέβαλον ἐς γῆν Μηδικήν, ἐς μεσόγαιον τῆς ὁδοῦ τραφθέντες.*

In his non pauca inesse, quae falsa esse quasi in propatulo sit, iam pridem intellexerunt vv. dd.[33]) Primum autem falsam esse temporum computationem, qua Herodotus utitur, certissimum est: Herodoti enim calculis adhibitis Cimmerios Scythasque a 634 in Asiam irrupisse statuendum. Attamen Cimmerios hodie constat multis annis ante Asiam inundasse [34]) Item de Scythis Cimmerios persequentibus falsus esse videtur Herodotus: faciamus enim cum illo Cimmerios a Scythis depulsos esse: non idem tamen fuerunt Scythae, qui Medis cladem paraverunt, Syriam inundaverunt, usque ad Aegypti fines progressi sunt.

Scythis autem, cum novas sedes quaererent, vacua relicta Cimmeriorum terra nullam causam fuisse illam gentem persequendi recte monuit Neumannus p. 113. Accedunt alia. Etenim Cimmerios, si quidem concesseris orientem versus eos fugisse, necesse fuit fugere adversis hostibus. Verum fugisse eos ad orientem versus concedas: nequaquam tamen secundum Ponti oram, qua ad orientem spectat, iter facientes in Asiam potuerunt pervenire, locorum scilicet natura impediti, montibus altissimis impendentibus et ad ipsum mare interdum vergentibus, ita ut vix singulos homines, nedum totam gentem cum omnibus copiis proficiscentem ista via ire posse sit putandum.[35])

Quae cum ita sint, tria intellegis fuisse itinera, quibus in Asiam illi pervenire possent. Per Thraciam primum, trans mare alterum navibus conficiendum, inter Caucasum montem et Caspium mare (hodie Strasse von Derbent) tertium. Prorsus autem respuenda sententia eorum, qui Cimmerios trans mare navibus vectos ad Halyos fere ostium venisse statuunt. Nam quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis? Cimmerios *ἱππημολγούς*, Scytharum consanguineos, trans mare navigasse! Miror equidem hanc Neumanni fuisse sententiam (116. 336). Eam sententiam quod Duncker I⁴ 398 (omisso auctoris nomine) amplexus est,[36]) eo magis mirandum, cum ipse p. 399 scribat haec: da es feststeht, dass thrakische Stämme dis Westküste

[30]) Tomaschek p. 1. — Locis posterioris aetatis velut Dionys. Per. 164 nihil demonstrari potest, vid. etiam Mueller ad Dionys. Per. v. 679.

[31]) ubi sepulcrum etiamnunc exstat, inquit Her.

[32]) cf. eius verba c. 11: Σκύθας δὲ ἐπελθόντας λαβεῖν ἐρήμην τὴν χώρην.

[33]) v. Duncker. II⁴ 329 sqq., Meyer. § 452 A, atque imprimis eum, quo ceteri duce usi sunt, C. Neumann. 113 sqq.

[34]) cf. Maspero. Histoire des peuples de l'orient d. v. Pietschmann. p 470, Noeldeke. Aufsätze z. pers. Gesch. p. 3, Meyer § 463 A.

[35]) Neumann 113, qui Mithridatis bene nos commonet (Strab. XI 496).

[36]) Falsa sunt quae de Cimmeriis Justinum (II 4,1) referre ait Duncker: etenim non Cimmerii sed Scythae illo Justini loco fuisse perhibentur Plinus (sic nunc leg. pro Ilinus) et Scolopitus; ceterum cf. Neumann. p. 116.

des Pontus vom thrakischen Bosporus nordwärts bis zur Mündung der Donau inne hatten . . ., so wird schwerlich ein Zweifel darüber bleiben, dass die Kimmerier thrakischen Stammes sind oder wenigstens diesem nahe verwandt waren. Atque cum idem dictitet Treras, Thraciae gentem, semper cum Cimmeriis coniunctos fuisse, colligendum potius fuit Dunckero per Thraciam iter fecisse Cimmerios. Quam opinionem certioribus rationibus contineri quam ceteras omnes negari non potest. Namque Caucasum inter et Caspium mare illos profectos esse quominus existimemus, causis impedimur supra indicatis: orientem enim versus fugam eos petivisse veri est dissimillimum. Cui rei ipse maxime obstat Herodotus fraternam illam Cimmeriorum pugnam ad Tyram fluvium factam esse affirmans: hoc enim nomine intellegendus est is, quem nos dicimus Dnjestr.[37]) Omnium igitur eorum, quae Herodotus refert, integre re examinata, hoc unum verum putabis a Scythis Cimmerios esse depulsos.[38])

Per Thraciam autem Cimmerios in Asiam invasuros iter fecisse primus Otto Abel perspexit,[39]) Strabonis nisus verbis I 61 *οἵ τε Κιμμέριοι, οὓς καὶ Τρῆρας ὀνομάζουσιν, ἢ ἐκείνων τι ἔθνος* (cf. XIV 647 XII 573). Abelii iudicium plurimi nunc, quantum video, suum fecerunt atque Meyer (§ 452), homo et doctrinae amplissimae et incorrupti iudicii, scribit haec: die Annahme, dass die Kimmerier von Osten nach Kleinasien gekommen seien, widerspricht allem, was wir sonst über sie wissen.[40])

Quae cum legis, facile tibi persuadeas traditum esse a ceteris scriptoribus per Thraciam Cimmerios migrasse. Atqui nemo est, qui hanc rem tradiderit. Unus autem Strabo cum Cimmeriorum gente Treras coniunctos fuisse ait: quam Thraciae fuisse gentem viri docti conclamant. Sed ipsum iam audiamus Strabonem I 61 hunc in modum disserentem: *οἵ τε Κιμμέριοι οὓς καὶ Τρῆρας ὀνομάζουσιν, ἢ ἐκείνων τι ἔθνος, πολλάκις ἐπέδραμον τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ Πόντου καὶ τὰ συνεχῆ αὐτοῖς, τ ο τ ὲ μ ὲ ν ἐ π ὶ Π α φ λ α γ ο ν ί α ς, τ ο τ ὲ δ ὲ κ α ὶ Φ ρ ύ γ α ς ἐ μ β α λ ό ν τ ε ς, ἡνίκα Μίδαν αἷμα ταύρου πιόντα φασὶν ἀπελθεῖν εἰς τὸ χρεών. Λύγδαμις δὲ τοὺς αὑτοῦ ἄγων μέχρι Λυδίας καὶ Ἰωνίας ἤλασε καὶ Σάρδεις εἷλεν, ἐν Κιλικίᾳ δὲ διεφθάρη. πολλάκις δὲ καὶ οἱ Κιμμέριοι καὶ οἱ Τρῆρες ἐποιήσαντο τὰς τοιαύτας ἐφόδους· τοὺς δὲ Τρῆρας καὶ Κῶβον ὑπὸ Μάδυος τὸ τελευταῖον ἐξελαθῆναί φασι τοῦ τῶν Σκυθῶν βασιλέως.* Haec ubi perlegeris ac praecipue ea quae litteris distantibus imprimenda curavi, statim pro certo habebis Strabonem de Cimmeriis loqui secundum meridionalem Ponti oram ad occasum solis iter facientibus. Huc addere licet geographi verba XII 552 *τῶν Λευκοσύρων. ἢ πολεμήσοντας μὲν ἦν δυνατὸν διαβαίνειν ἐκ τῶν τόπων τούτων καὶ τῶν ἐπέκεινα, καθάπερ τὰς Ἀμαζόνας καὶ Τρῆρας καὶ Κιμμερίους φασί κτλ.* Comparatis his cum eis, quae Herodotus exhibet, aliquatenus vides convenire Strabonem inter et Herodotum, cum uterque ab oriente profectos Cimmerios processisse statuat in eas Asiae partes, quae ad occidentem spectant.[41])

Breviter iam comprehendamus. Cimmerios a Scythis concitos domesticis sedibus relictis per Thraciam iter fecisse veri est simillimum. Constat autem scriptorum testimoniis, quae quatenus concinant inter se, quatenus discrepent, modo vidimus, inde ab oriente profectam eam gentem bellum intulisse Lydis atque Ionibus. Quae cum ita sint, conicere nunc licet Cimmerios per Thraciam profectos secundum Ponti oram itinere facto circa Sinopen urbem, quo antea iam deducta erat Milesiorum colonia, consedisse. Denuo inde aliquanto temporis spatio interiecto eas Asiae partes, quae ad occidentem vergunt, populati sunt.

---

37) Cf. cum alios tum Mair. Das Land der Scythen bei Herodot II. Progr. Gymn. Saaz (Bohem) 1885 p. 21.

38) Qui factum sit, ut Herodotus alienis rebus contextis ita rem describeret, v. ap. Neumann. 116 sq., (116 adn. 4) cf. etiam Meyer. § 452 A, Duncker I 399 II 329. Unde Scythae coeperint Cimmerios persequi, secundum ea, quae exposuimus, supervacaneum videtur quaerere: ab extrema parte Taman paeninsulae fugam coeptam esse ex Herodoti sententia esse Mair (Das Land der Sk. bei Herodot I 1884 p. 34) censet argumento usus parum certo.

39) Makedonien vor König Philipp. Lpz, 1847 p. 80.

40) Cf. Noeldeke. Aufsätze z. pers. Gesch. p. 7. Etiam Gutschmidium meum memini hanc sententiam non improbantem; Gelzerus, quid de hac re sentiat, non diserte pronuntiat

41) Minime ex Herodoto Strabonem h. l. pendere recte monuit Rohde Rh. M. 36,560. Attamen idem fere Strabonis auctorem de illis rebus comperisse crediderim atque Herodotum: qui Cimmeriorum rebus perperam contextis cum Scytharum expeditione in Asiam facta aliquantum a vero aberravit.

Respondendum deinceps ad quaestionem et ipsam difficilem hanc, quo tempore in Asiam invaserit Cimmeriorum gens. Fallax est de ea re testimonium orbis descriptionis illius quae Scymni fertur v. 769 sqq. *Πόλις Ἴστρος ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ λαβοῦσα τοὔνομα . . . Ταύτην τὴν πόλιν Μιλήσιοι κτίζουσιν, ἡνίκα Σκυθῶν εἰς τὴν Ἀσίαν στράτευμα διέβη βαρβάρων τὸ Κιμμερίους διῶκον ἐκ τοῦ Βοσπόρου.*[42]) Jstrus autem condita secundum Eusebium Ol. 31,1. Tamen verum hoc esse nequit, cum multo ante Cimmerios Asiam vastasse pro certo sit habendum. Sardanapalus enim, Assyriae rex, dicit haec [43]) : die Gimirai . . . welche nicht fürchteten meine Väter und mich; regnaverunt autem Senacheribus (Sanherib) 705—681, Assarhaddon 681—669. Atque ipse sibi obstat Eusebius, quippe qui a. fere 696 Midam, Phrygiae regem Cimmeriorum incursione facta tauri sanguine hausto ipsum necem sibi conscivisse affirmet,[44]) neque minus repugnat Aristoteles apud Stephanum Byz. s. v. *Ἄντανδρος* ubi legis haec : *Ἀριστοτέλης φησὶ ταύτην ὠνομάσθαι Ἠδωνίδα διὰ τὸ Θρᾷκας Ἠδωνοὺς ὄντας οἰκῆσαι, ἢ Κιμμερίδα Κιμμερίων ἐνοικούντων ἑκατὸν ἔτη.*[45]) His omnibus consideratis Cimmerios a. fere 700 vel paulo post in Asiam pervenisse putabis.[46])

Diversa Neumanni (p. 114) fuit sententia Cimmerios iam multis annis ante in Asiam irrupisse statuentis : his autem causis ille adductus est, primum quod Orosius (I 21 Haverkamp) anno a. u. c. XXX incursionem factam esse diceret, tum quod Callinus poeta, quem VIII saeculo fuisse ait, Cimmeriorum mentionem fecisset, deinde quod apud Strabonem Homeri aetate Cimmerii in Asiam incurrisse dicerentur. Accedebant ea, quae de Sinope condita memoriae prodita sunt: de his posthac videbimus, cetera perfacile possunt refelli. Orosii enim illo loco pro XXX scribendum CCCXXXIII,[47]) neque octavo saeculo Callinum fuisse hodie constat sed septimo, chronographi denique illi quos Strabo laudat, quam temporum computationem adhibuerint, ex eis patet, quae supra exposuimus.

De Cimmeriis autem Asiam populantibus quae scriptorum narrationes sunt, eae reconditae iacent et perplexae. Quo modo factum sit, ut res hunc in modum perturbarentur, facile intelleges, cum cogitabis non solam Cimmeriorum gentem illis fere temporibus in Asiam invasisse. Cui non in mentem venit **Thynorum, Bithynorum, Edonorum, Brigum**? Qui omnes ex Thracia in Asiam transmigrasse feruntur. Tamen quae ratio his intercesserit cum Cimmeriis, difficile dictu.[48]) Adde quae de Scythis Amasenus XI 511 refert: *Σάκαι μέντοι παραπλησίας ἐφόδους ἐποιήσαντο τοῖς Κιμμερίοις καὶ Τρήρεσι, τὰς μὲν μακροτέρας, τὰς δὲ καὶ ἔγγυθεν.* Accedit quod cum aliis gentibus et eis compluribus coniuncti dicuntur Cimmerii. Ex his primi memorandi sunt **Treres**,[49]) qui et ipsi Thraciae incolae fuisse feruntur.[50]) Utrum in ipsa Thracia an in Asia societatem inierint Cimmerii Treresque, dubitare licet, verum minime per omne tempus duas illas gentes coniunctas fuisse putaverim. Neque hoc certum, quae ratio cum Treribus fuerit Cimmeriis, atque incertus ipse fuit de ea re Strabo (sive eius auctor), cf. I 61 *οἵ τε Κιμμέριοι οὓς καὶ Τρῆρας ὀνομάζουσιν, ἢ ἐκείνων τι ἔθνος*; ibid. *καὶ οἵ τε Κιμμέριοι καὶ οἱ Τρῆρες*; XII 552 *καθάπερ τὰς Ἀμαζόνας καὶ Τρῆρας καὶ Κιμμερίους φασί*; XIV 647. Cum autem Callis-

---

42) Ubi a Scymni auctore (Ephoro?) in unum confusa esse apparent ea, quae Herodotus refert, cum integra colonorum memoria. Cet. cf. Gelzer. p. 257, Rohde. Rh. M. 33,200, Meyer § 452 A.

43) v. Gelzer p. 256.

44) Strab. I 61, sec. Africanum (Crameri Anecd. II 264) a. 676; de Eusebi numeris v. Gelzer 262. Alios scriptorum locos attulit W. H. Roscher in Annal. phil. (vol. 127) 1883 p. 159, de mira mortis ratione exponens. Quae res nondum ad liquidum perducta est.

45) cf. Plin. n. h. V § 123.

46) Idem fere statuit Meyer § 453.

47) Gelzer p. 260.

48) De ea re v. Meyer. § 4'2, Thraemer. Pergamos (Lips. 1888) imprimis pp. 329 sqq. cum notis.

49) Theopompum Stephanus ait scripsisse *Τρᾶρες*, idem Callini profert *Τρῆρεας ἄνδρας ἄγων*. Equidem *Τρῆρες* Ioniam nominis formam esse opinor, cf. *Μῆδοι* = Mâda et fortasse *Πέρσαι* = *Πῆρσαι* = *Πᾶρσαι* : Noeldeke l. c. p. 147. Thraemer (Pergamos 204,1) in nomine oppiduli *Τράριον* vestigium Trerum inesse opinatus est.

50) v. imprimis Thucyd. II 96, Steph. Byz. s. v. *Τρῆρος*.

thenes[51]) ap. Strab. XIII 627 dilucide illos distinguat, non est, quod unam eandemque gentem fuisse arbitremur Cimmerios atque Treres.[52]) Deinde ut cum Cimmeriis Treres, ita cum Treribus Lycii coniuncti fuisse dicuntur (v. Callisth. ap. Strab. l. c.), cum Cimmeriis Eneti, *φῦλόν τι τοῖς Καππάδοξιν ὅμορον* (Strab. XII 543), atque ad Scythas Cimmerios nonnullos se adiunxisse Meyerus § 463 colligit.

Huc dissertatione nostra deducta, quae de singulis locis a Cimmeriis vexatis scriptores referunt, narrabimus ordine fere servato eo, quem supra indicavimus. Quamquam ne id quidem potest diiudicari, utrum primo incursu illi Phrygiam adorti sint an Paphlagoniam statim petiverint.

Phrygum autem regem tauri sanguine hausto — scilicet admixto veneno, ut opinor — ipsum se necasse antea dictum est. Fuit praeterea Syassi, in vico Phrygiae, fabula Cimmerios ibi ingentem vim frumenti foveis conditam invenisse atque per multum temporis victum inde sumpsisse. (Steph. Byz. s. v. *Συασσός*).

Antandri quoque supra iam (p. 12) mentionem fecimus appositis eis, quae Aristoteli debentur. Ubi cum annos C Cimmerii commorati esse perhibeantur, forsitan in duas partes gentem fuisse disiunctam iudicandum sit: alteram statim Antandrum et Aegaei maris oram petiisse, alteram secundum Ponti oram iter perrexisse.

De **Heraclea Pontica** Arrianus tradidit haec (fr. 47 FHG III 595): *ὅπου Κιμμέριοι πόαν φαγόντες ἀκόνιτον ἐδυστύχησαν. Ἦν γὰρ αὐτοῖς πάτριον τὸ ποηφαγεῖν.* (Ceterum v. quae supra p. 8 dixi.)

Diu circa **Sinopen** Cimmerii versati esse videntur: de ea re v. praeter Herodotum IV 12 Scymni vv. 941 sqq., ubi Ephoro fere auctore breviter Sinopes res narrantur. Quo cum pervenissent homines rudes, capto oppido occiderunt Habrondam Milesium.[53]) Magno deinde temporis spatio interposito Cous et Cretines, Milesiorum exsules, iterum coloniam Sinopen deduxerunt *ἡνίκα ὁ Κιμμερίων κατέδραμε τὴν Ἀσίαν στρατός.*[54])

Cimmerios deinde Teuspa duce cum **Assyriis** armis contendisse Assarhaddon refert, rex Assyriorum; quod a. fere 675 factum esse Meyer § 453 dicit; idem in Cappadocia bellum gestum esse censet. Atque cum Moschi et Tibareni, Ponti accolae, Assyriorum regi oboedirent, facile potuit accidere, ut cum Assyriis Cimmerii congrederentur.[55])

Maximam autem expeditionem aliquot annis post Lygdamide duce adversus **Lydiam** et **Joniam** Cimmerii susceperunt. Lydiae illo tempore interempto Candaule rex fuit Gyges. Qui quamquam opibus plurimum valebat, appropinquantibus illis optimum putavit legatis missis in potestatem Assyriorum regis se permittere. Deinde facta deditione contigit ei, ut superior discederet: Cimmeriorum principes duos catenis vinctos donis amplissimis additis in caput Assyriorum misit. Neque vero postea fidem servavit. Conspiravit enim cum Psametícho (Pisamilki) ad opprimendum Assyriorum imperium. Sed Assyriorum servitute exuta denuo in terram invaserunt Cimmerii totamque Lydiam devastaverunt. Ipse rex cecidit patreque mortuo iterum Ardys filius Sardanapalo se dedidit.

Haec, quae de Assyriorum Lydorumque rebus modo proposuimus, ea ipsi Sardanapalo debentur.[56]) Egregie is subvenit Graecorum scriptoribus.

---

51) Cuius narrationem ab eis, quae aliis locis Strabo refert, discernendam esse recte monuit Rohde Rh. M. 36,559.

52) Parum caute igitur Noeldeke, vir summe colendus, scripsit haec (p. 8): die Traren oder Treren, gewöhnlich Kimmerier genannt. — Treres nunquam in tabulis cuneatis commemorari admonuit nos Gutschmidius (scholis Tubingae habitis): quam rem non neglegendam esse duco.

53) cod. *Ἀμβρώντας*, v. Meinek. ad Steph. Byz. s. v. *Σινώπη*. — Trapezus a Sinopes incolis condita sec. Euseb. a. 756 (v. Fischer, ad h. a. et 629). Unde Sinopen aliquot annis ante conditam esse statuendum. Quamquam iam tum factam esse Cimmeriorum incursionem non licet putare; ceterum Habrondas num inter conditores fuerit, dubitandum: v. Gelzer. p. 257.

54) cf. Steph. Byz. s. v. *Σινώπη*. Sinope denuo condita sec. Euseb. a. 630 (Hieron. et Arm. ad a. Abr. 1387).

55) cf. Duncker II 433 et contra disputantem Gutschmidium Ann. phil. 1875,583.

56) Jn nostram linguam translata ea legis ap. Gelzerum et Dunckerum I 400. Gutschmidium autem, praeceptorem meum, maxime his rebus diffisum esse notissimum est: cf. Annal. phil. 1875 p. 583 sq. Atque imprimis

Inter quos Herodotus I 15 refert haec: *ἐπὶ τούτου δὲ (Ἄρδυος) τυραννεύοντος Σαρδίων Κιμμέριοι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Σκυθέων τῶν νομάδων ἐξαναστάντες ἀπίκοντο ἐς τὴν Ἀσίην καὶ Σάρδις πλὴν τῆς ἀκροπόλιος εἷλον.* Male haec congruunt cum eis, quae Strabo praebet. Qui duos de his rebus auctores adhibuit (quos discernendos esse recte monuit Rohde p. 560 adn.), alterum I 61 (Eratosthenem sec. Gutschmidii sententiam)[57]), alterum Callisthenem XIII 627 et XIV 647. (Cf. Clem. Alex. Strom. I 131 II p. 107 Dind.) Ac cum semel tantum Sardes a barbaris illis captas esse referant et Herodotus et Strabo I 61, bis urbem expugnatam Callisthenes enucleavit artificiosa ratione hac. Etenim Callinus poeta Magnetum mentionem facit ut florentium prosperoque eventu contra Ephesios pugnantium, cum Archilocho notam fuisse Magnetum cladem pateat poetae versu hoc (fr. 20 Bergk II[4] 388)

*κλαίω * τὰ Θασίων οὐ τὰ Μαγνήτων κακά.*

Ideo Callinum aetate superiorem esse Archilocho conclusit ille. Attamen Cimmerios commemorat Callinus verbis his (fr. 3 Bergk)

νῦν δ' ἐπὶ Κιμμερίων στρατὸς ἔρχεται ὀβριμοεργῶν.

Atqui cum Cimmerios Ardye regnante Lydiam Ioniamque populatos esse constaret, eam incursionem, cuius mentionem facit Callinus, multis annis antea factam existimavit Callisthenes. Atque multos elusit.[58]) Quamquam adeo haec videntur temeraria, ut non habeamus, cur propter unius Callisthenis testimonium bis Sardes captas esse statuamus. Neque opus est ad ea refellenda Athenaei XII 525 C testimonio et ipso incerto et Callinum et Archilochum Magnetum excidium memorasse affirmantis. Primum autem a Cimmeriis, tum a Treribus Sardes dirutas esse quominus statuamus item Callinus impedit, quippe qui de utraque gente meminerit: unde eisdem temporibus Cimmerios ac Treres in illis Asiae partibus versatos esse elucet.[59])

Semel igitur Sardes a Cimmeriis captas esse putandum. Quod a. fere 652 factum eademque aetate Gygem interemptum esse Gelzer p. 263 iudicat, cum Meyer § 455 non ante a. 646 id factum censeat.

Non ita multo post Sardium excidium **Magnesia** quoque, urbs ad Maeandrum flumen sita, deleta est. Quam a Treribus devastatam Strabo XIV 647 refert; *τὸ δ' ἑξῆς τοὺς Ἐφεσίους κατασχεῖν τὸν τόπον.* Videntur autem Ephesii Cimmerios in Magnetes instigavisse.[60])

Neque tamen **Ephesii** populatione intacti manserunt. Dianae enim templum incendio deletum esse constat, v. Hesychium s. v. *Λύγδαμις· οὗτος ἔκαυσε τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος.*[61]) Ab ipsa tamen urbe barbarorum impetum prohibuisse videntur: namque vetus fuit Ephesi fabula apud Dianae antistites propagata, a dea, patrona urbis, hostes dissipatos esse et in fugam conversos. Docet nos de ea re Hesychius s. v. *Σκυθῶν ἐρημία· παροιμία*[62]), *ἀπὸ τῶν φυγόντων ἐξ Ἐφέσου Σκυθῶν διαδοθεῖσα· φοβηθέντες γὰρ καὶ ταραχθέντες κατὰ γνώμην.* Haec Hesychii ex quo fonte fluxerint, incertum est: quamquam conicere licet in Archilochi ac Callini carminibus non pauca fuisse, quibus uterentur rerum scriptores. At certe eidem auctori atque illa debentur, quae Hesychius s. v. *Κιμμερὶς θεά* dicit: *ἡ μήτηρ τῶν θεῶν.* Quorsum haec pertinent?

---

hoc addubitavit, essetne reapse a Cimmeriis Gyges occisus, cum de ea quidem re prorsus tacerent Graecorum scriptores, Sardium tamen expugnatarum facerent mentionem; cf. etiam Duncker II 434. — Peculiarem eumque utilem de Lydorum regibus librum abhinc paucos annos composuit R. **Schubert** (Gesch. d. Könige v. Lydien. Breslau 1884). Cuius de Cimmeriis iudicium nonnumquam parum certum est: cf. eius verba haec (p. 40): als fraglich betrachten müssen wir aber etc. Contra paulo confidentius Treres Cimmericam gentem fuisse affirmat p. 41: de qua re ipse dubitare videtur Strabo. Praeterea v. adn. meam 59.

[57]) Quae ibi leguntur, supra apposui.

[58]) v. **Guhl**, Ephesiaca (Berl. 1843) p. 34 et Duncker I 398 II 435.

[59]) Gelzer p. 259 sq. Callisthenis ratiocinationem detexit: quam labefactari ait Athenaei verbis, cum aliud de Athenaei loco iudicium sit Rohdei l. c. p. 560 adn. (cf. Bergk. ad Call. fr. 3) et Meyeri § 455 adn. Hoc tenendum: si fidem habes Athenaeo, falsam esse Callisthenis opinionem oportet iudices: quapropter Schubert p. 41 erravit. — Gutschmidius, utrum semel Sardes expugnatae sint an bis, diiudicari non posse censebat.

[60]) Quod bene coniecerunt Curtius Hist. Gr. I[5] adn. 278 p. 684 et Rohde p. 560 adn.

[61]) De chronographis partim falsis de hac re calculis usis v. Gelzer p. 258, Rohde 563 adn. 1, Meyer § 455 adn.

[62]) Proverbium iam ap. Aristoph. Acharn. 704.

Equidem Dianam Ephesiam dici opinor: quae facile a poeta aliquo Cimmeria dea potuit appellari, utpote quae Cimmeriorum copias fudisset. Eiusdem autem fortasse vestigia secutus Battiades, qui, ut carmina componeret, vel maxime vetustatis scrinia compilavit, versus scripsit hos (*εἰς Ἄρτ.* 251 sqq.):

τῷ ῥα καὶ ἠλαίνων ἀλαπαξέμεν ἠπείλησε
Λύγδαμις ὑβριστής· ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν
ἤλασε Κιμμερίων, ψαμάθῳ ἶσον, οἵ ῥα παῤ αὐτὸν
κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον Ἰναχιώνης.
ἆ δειλὸς βασιλέων, ὅσον ἤλιτεν· οὐ γὰρ ἔμελλεν
οὔτ̓ αὐτὸς Σκυθίηνδε παλιμπετὲς οὔτε τις ἄλλος
ὅσσον ἐν λειμῶνι Καϋστρίῳ ἔσταν ἅμαξαι
νοστήσειν· Ἐφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται.

His rebus gestis Lygdamin, cum in Ciliciam suos duxisset, ibi occidisse ferunt[63]): ab Assyriorum copiis eum circumventum veri est simillimum.

Eo nunc deducta est dissertatio nostra, ut quid factum sit de Cimmeriis, dicere oporteat. Et Lygdamin quidem oppressum modo commemoravimus: non totam tamen Cimmeriorum gentem in Cilicia interisse iudicare licet. Nam in aliis Asiae locis populi partes remansisse neque omnes eius expeditionis, cuius dux fuit Lygdamis, participes fuisse existimandum. Memineris velim Aristotele auctore Cimmerios centum annos Antandri esse versatos. Subveniunt alii. Ab Alyatte enim, Lydorum rege (617—560), Cimmerios ex Asia depulsos esse Herodotus I 16 refert. Adde fabulosa illa, quae (Ctesia auctore? Noeldeke Aufsaetze 19) de pugna Cimmerios inter et Lydos commissa Polyaenus VII 2,1 narrat. Denique Arrianus ap. Eustathium ad Dion. Per. 322 (FHG III 593) a Thracibus Pataro duce in Asiam transgressis Cimmerios ex Bithynia pulsos dicit.[64]) (De Treribus pulsis v. Strab. I 61, supra p. 11.)

Iam vero disputatiunculae nostrae oportet finem faciamus. Multa vides in medio relicta: quae obscura hodie sunt, partim certe clara videbuntur posteris. Nam ipsi Assyriorum reges de Asiae rebus nos docere coeperunt: hinc etiam Cimmeriis clariorem lucem aliquando allatum iri speramus.

---

63) Strab. I 61, v. de Lygd. etiam Plutarchi Mar. 11 et Eustath. in Od. 397,12.
64) De ea re v. Thraemer. Pergamos 331,3.

